



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### De Signis Prædestinationis, Et Reprobationis, Et De Numero Prædestinatorum, Ac Reprobatorum

Recupito, Giulio Cesare

Lvgdvni, 1681

Cap. XIV. Octavum prædestinationis signum, Continentia.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-44272**

pij, qui ut suæ existimationi consulant, statuunt alienæ vitæ non pat-  
 cere, curare interdum solent, ut confessarius præstò sit, qui morituro  
 absolutionem impendat: consummantes ultionem in corpore, nec  
 protendentis odia in moram infinitam æternitatis. In his, inter ipsa  
 crimina scintilla quædam apparet fidei, & aliquale signum prædesti-  
 nationis. Cæterum universaliter sentiendum est cum Augustino in  
 epist. Ioann. tract. 5. *inter filios Dei, & filios diaboli* (inter prædesti-  
 natos, & reprobos) *dilectionem solam discernere.*

## CAPUT XIV.

*Octavum prædestinationis signum, Continentia.*

**D**ico decimoquartò Prædestinationis signum est Castitas. Pro-  
 batur primò è Scripturis. Primus locus est Sap. 3. *Felix est steri-*  
*lis, & incoquinata, qua nescivit thorum in delicto: habebit fructum*  
*in respectione animarum sanctarum:* id est, ut ibi Glossa interlinea-  
 ris, *habebit fructum æterna beatitudinis.* Loquitur autem Sapiens de  
 continente conjugali *nesciente thorum in delicto.* Sequitur de conti-  
 nentia Virginali, & spado, *qui non operatus est per manus suas ini-*  
*quitate: nec cogitavit adversus Deum nequissima. Dabitur enim illi*  
*fidei donum electum, & fors in templo Dei acceptissima.* Id est, ut Lyra-  
 nus, *dabitur illi donum gloriæ; quod datur pro fide formata charitate.*  
 Per spadonem autem, ut ait Rabbanus, *potest hic Virginum ordo in-*  
*telligi, de quo in Isa. 56. non dicat Eunuchus, ego sum lignum aridum.*  
 Si ergo promittitur castitati tam conjugali, quam virginali, gloria,  
 sequitur quod utraque prædestinationis sit signum; altioris tamen in  
 virginibus: quæ, ut ait Cyprianus lib. de hab. virg. sunt *illustrior*  
*portio gregis Christi.*

Secundus locus est Sap. 4. *O quàm pulchra est casta generatio cum*  
*claritate! Immortalis est enim memoria illius: quoniam & apud Deum*  
*nota est, & apud homines. Et, in perpetuum coronata triumphat, incoi-*  
*quinatorum certaminum præmium vincens.* Id est, ut ibi Lyranus præ-  
 mium, quod redditur pro certaminibus incoquinatis. Ergo Castitas si-  
 gnum est futuræ coronæ, & triumphi, & præmij pro victoria in  
 hoc certamine. Neque immeritò: quia, ut ait Augustinus in serm. de  
 vitanda famil. mulier. qui habetur tom. 5. *inter omnia Christianorum*  
*pia certamina, duriora sunt pralia castitatis; ubi quotidiana pugna, &*  
*rara victoria.*

Tertius locus est Isa. 56. *Hac dicit Deus Eunuchis, qui custodierint*  
*sabbata mea: dabo eis in domo mea, & in muris locum, & nomen*  
*melius.*

Sap. 3.

Glossa.

Isaia 56.

Cyprian.

CC.  
Virgines  
illustrior  
portio gre-  
gis Christi.

Sap. 4.

August.  
Castitatis  
certamina  
in hac vita  
sunt omnium  
duriora.  
Isaia 56.

*melius filijs & filiabus, nomen sempiternum dabo eis, quod non peribit.* Hic per Eunuchos virgines intelligi docent Basilus libro de vera virginitate, Augustinus libro 14. contra Faustum cap. ult. Ambrosius exhortat. ad virg. Hieronymus & alij in hunc locum. Quod patet etiam tum ex Matth. 15. *Sunt eunuchi, qui seipsos castraverunt propter regnum caelorum,* ut exponit Chrysostomus, *non membra abscindendo, sed malas cogitationes interimendo.* Tunc ex hoc ipso loco, dum dicitur, *Eunuchis, qui custodierint sabbata mea;* quia, ut ait Basilus loco citato: *Si virginitatem apud te permanere inviolabilem cupis, & perpetuum sabbatum celebrare, mane quod nata es: nihil operans, quo in te solvatur quod in te per naturam est.* His promittit Deus locum in domo sua, & in muris suis, & nomen melius filijs & filiabus: nempe, ut explicat Augustinus libro de sancta Virginitate cap. 24. notam specialem, per quam Virgines ab aliis secernantur; sicut per nomen discernitur unus ab alio. Ergo virginibus promittitur gloria quaedam specialis, & sublimior; ac proinde Virginitas altissimæ prædestinationis est signum.

Matth. 15.

Virginibus nota specialis gloriæ promittitur.

Quartus locus est Apoc. 14. *Hi sunt, qui cum mulieribus non sunt coinquinati: virgines enim sunt: hi sequuntur Agnum quocumque ierit.* Quia verò hi visi sunt à Ioanne supra montem Sion: ideo Gregorius libro 5. in lib. Regum cap. 3. *Bene inquit, in sublimiori esse Virgines dicuntur; quia quod naturam humanam supergraditur, in altissimo virtutum culmine situm est. Hi sunt qui cum mulieribus &c. In monte quidem esse cum Agno dicuntur: quia per meritum incorruptionis, quo à terrenis & carnalibus delectationibus se dividunt, in sempiterna redemptionis gloria sublimantur.* Si igitur promittitur Virginibus specialis gloria, & sublimior locus in caelo: utique virginitas non prædestinationis solum, sed etiam sublimioris prædestinationis est signum. Quod præsignificasse videntur etiam antiquiores Astrologi: dum, ut notat Hieronymus libro 3 contra Iovinianum, *inter duodecim signa cali, quibus mundum regi putant, magna injuria nuptiarum, virginem collocarunt.* Hæc occasione Scripturarum.

Apocal. 14.

Gregorius.

Probatum idem secundò ratione. Prima ratio. Castitas reddit similes Angelis. Ergo prædestinationis est signum. Consequentia patet, quia in prædestinationis termino includitur societas Angelorum. Antecedens probatur, quia incorruptio est Angelorum propria, juxta Matth. 22. *non nubent, neque nubentur; sed erunt sicut Angeli Dei in caelo.* Ideo Augustinus libro de Virginitate cap. 23. *Virginalis, inquit, integritas, & perpetua continentium ab omni concubitu immunitas Angelica portio est; & in carne corruptibili incorruptionis perpetua meditatio.* Athanasius etiam libro de Virginitate dixit *in virginitate exemplar haberi Angelica sanctitatis.* Tertullianus quoque libro 1. ad uxorem: *puella, inquit, in terris non nubenda de*

Castitas nos reddit Angelis similes.

Augustinus.

- Cyprianus.** familia Angelica deputantur. Concordat Cyprianus libro 2. de disciplina & habitu Virginis : ubi : *Cum casta, inquit, perseveratis, & Virgines, Angelis Dei estis equales.* Idem asserit Nazianzenus oratione in illud, *non omnes capiunt verbum hoc : dicit enim, non secundum carnem vivere, Angelicum esse, & superius natura.* Adstipulatur Cyrillus Hierosolymitanus catech. 12. ubi : *Non ignoramus, inquit, castitatis gloriam : Angelica enim est corona, & supra hominem hac perfectio.* Consonat Ambrosius lib. 1. de Virginitate, ubi, *nemo, inquit, miretur, si Angelis comparentur quæ Angelorum Domino copulantur.*
- Cassian.** Assentitur Cassianus libro 6. cap. 6. ubi, *nulla, inquit, virtute tam propriè carnales homines spiritualibus Angelis imitatione conversationis æquantur, quàm merito & gratia castitatis, per quam adhuc in terra degentes habent, secundum Apostolum mancipatam in cœlis.* Suffragatur Bernardus epistola ad Henricum, ubi : *Quid, inquit, castitate decorius, quæ mundum de immundo facit conceptum semine, de hoste domesticum, Angelum denique facit ex homine ?* Claudis horum agmen Chrysologus serm. 143. ubi, *Angelis, inquit, semper cognata Virginitas : In carne præter carnem vivere, non terrena vita est, sed cœlestis.* Hi omnes æqualitatem quamdam struunt inter castos & Angelos. Aliqui verò castos præferunt Angelis. Quippe differunt quidem inter se homo pudicus, & Angelus ; sed felicitate, non virtute. Et si illius continentia felicior, hujus tamen fortior esse cognoscitur. Basilii de vera Virginitate dixit, *virgines locum inter Angelos illustrem habere, ac nobilissimum ; quia, ut observat Chrysologus serm. 143. Angelorum gloriam acquirere majus est quàm habere. Angelum esse, felicitatis est : virginem esse, virtutis.* Quod idem perpendit Bernardus loco citato, ubi, *differunt, inquit, inter se homo pudicus, & Angelus ; sed felicitate, non virtute : & si illius continentia felicior, hujus tamen fortior esse cognoscitur.* Est igitur castitas prædestinationis signum perspicuum ; quia est quædam Angelicæ & beatæ vitæ repræsentatio. Quippe, ut ait idem Bernardus loco citato, *sola est castitas, quæ in hoc mortalitatis loco & tempore, statum quemdam immortalis gloria repræsentat.*
- Cassian.** Secunda ratio. Virginitas trahit secum speciale patrocinium Deiparæ. Ergo prædestinationis est signum. Consequentia patet, quia quotquot prædestinati sunt, mediante Deiparæ patrocinio prædestinati sunt, ut ostendemus inferiùs. Antecedens probatur, quia sub Deiparæ speciali vexillo militant Virgines : utpote quæ sit vexillifera Virginum. Quippe, ut ait Ambrosius de instit. Virg. cap. 5. *Maria signum extulit, & intemerata virginitatis prima Christo vexillum levavit.* Idque causæ est ut virginitatem sceminae plures colant quàm mares ; quia Virginum in hoc exercitu vexillifera est scemina. Quod animadvertens Hieronymus epist. 22. ad Eustochium : *Ideo, inquit,*
- Cyprianus.** Castitas adest speciale Dei paræ patrocinium.
- Ambrosius.** Cur plures sceminae quàm mares virginitatē colant.

*ditius virginitatis donum fluxit in foeminas ; quia coepit à foemina. Et merito dicit coepisse à foemina ; quia Maria virginitatis in se donum consecravit, antequam Christus. Idcirco quamvis in Apoc. loco cit. cæteræ Virgines dicantur sequi Agnum quocumque ierit : Deipara , ut virginitatis vexillifera, præit Agnum. Quod expressè docuit Bernardus sermone 1. super Missus est : ubi, in cæteris, inquit, singularitas canitur, quod sequuntur Agnum quocumque ierit : quibus verò laudibus dignam iudicat ( Mariam ) que etiam præit ? Si igitur dux omnium Virginum est Maria, manifestum est militare Virgines sub vexillo & patrocínio speciali Mariæ. Ideo dicitur Psalm. 44. Adducuntur Regi virgines post eam. Utiq; post eam, quia ut notat Bernardus sermone in signum magnum, adducuntur Virgines post eam, que sola primatum vindicat sibi.*

Bernardus.

Psalm. 44.

Bernard.

Confirmatur primò, quia similitudo parit amorem ; amor superioris patrocínio. Maria autem, ut ait Damascenus orat. 2. de dorm. *Virgo est, & Virginum amans : pura est, & purorum amans. Ided, ut infert Chrystostomus sermone de Beatissima Virgine, Quicumque estis Virgines, ad matrem Domini confugite : illa enim pulcherrimam, pretiosissimam, & incorruptibilem possessionem suo vobis patrocínio conservabit.*

Damascen.

Chrystostom.

Confirmatur secundò ex eodem Damasceno oratione 1. de nat. ubi Virginem alloquens, *Tu, inquit, virginitatis feracissima planta : per te enim virginitatis pulchritudo latissimè se diffundit. Ergo si Maria est veluti planta ex qua cæteræ Virgines prodierunt, debet in eas semper transmittere speciales influxus gratiæ, tanquam radix in ramos.*

Maria virginitatis plan-

ta.

Confirmatur tertio, quia Maria specialiter mater est continentium, præsertim Virginum. Ideo dicitur Cantic. 7. *Venter tuus acervus tritici, vallatus liliis : quia scilicet in ventre Virginis continetur cum Christo acervus tritici, idest cumulus electorum : & præcipuè Virginum, quæ veniunt nomine liliorum. Ideo Honorius in eum locum de ventre Virginis loquens, ipse, inquit, est acervus, quia in eo cumulatur fidelium populus vallatus liliis, idest stipatus Virginum choris. Ex ventre igitur Mariæ Virgines prodeunt ; & sic Maria specialis mater est Virginum. Ideo Hieronymus libro 1. contra Iovinianum, Hæc, inquit, Virgo est, & mater est Virginum. Ad matrem autem pertinet specialem curam gerere filiorum : unde concluditur specialis Mariæ protectio circa Virgines ; ac proinde speciale in iisdem prædestinationis auspiciis : quis enim perire poterit sub auspiciis & vexillo Mariæ ?*

Cantic. 7.

In Mariæ utero casti continentur cum Chri-

sto.

Honorius.

Hieronym.

Tertia ratio. Quò aliquid magis Deo intentionaliter unit, eò majus prædestinationis est signum. Sed castitas maximè Deo unit. Ergo maximum prædestinationis est signum. Major patet, quia

praedestinatione tendit ad summam unionem intentionalem cum Deo, per visionem & amorem. Minor probatur, quia quod creatura rationalis magis abstrahitur à sensibilibus, eò magis unitur intentionaliter cum intelligibilibus: cum hæc sint maximè abstracta à materia. Ergo quod magis abstrahitur à sensibilibus, magis unitur intentionaliter cum summo intelligibili, quod est Deus. Sed per castitatem abstrahitur maximè à sensibilibus, cum inter delectationes sensibiles omnium maxima sit venerea. Ergo per castitatem maximè unitur intelligibilibus, atque adeo summo intelligibili, quod est Deus. Ideo, ut notat Ambrosius libro 1. de Virg. *Elias, qui nullius corporei coitus fuisse permixtus cupiditatibus invenitur, curru est raptus in cælum.*

Ambros.

Confirmatur primò, quia castitas concurret ad praedestinationem tanquam removens prohibens, removendo impedimenta unionis cum Deo. Quandoquidem omne impedimentum removens ab honesto, oritur ex delectabili. Superata autem delectatione venerea, facile est minores alias vincere; putà ex concupiscentia oculorum, nempe ex divitiis. Quippe, ut observat Chrysostomus, *non est par corporum & pecunie cupiditas; sed multò acrior corporum.* Ac proinde in hac facillè superantur cupiditates cæteræ; & sic anima remanet expedita ad unionem cum Deo. Quod significavit Paulus 1. ad Cor. 7. cum hortatur ad continentiam, tanquam ad id quod facultatem præbeat sine impedimento Dominum obsecrandi.

Chrysostom.

1. Cor. 7.

CCII.  
Castitatem  
comitantur  
omnes vir-  
tutes cum  
Deo unitivæ.  
Cant. 4.

Hieronym.  
Cyprianus.  
Charitatis  
virtus in vir-  
ginitate non  
minus quam  
in martyrio  
splendet.

Joan. 15.  
Ambrosius.  
Virginitatē  
colentes  
Christi foro-  
res evadunt,  
& sponsæ.  
Cant. 4.  
Augustinus.  
Tertull.

Confirmatur secundò, quia cum Virginitate associantur omnes aliæ virtutes unitivæ cum Deo. Ideo dicitur Cant. 4. *emissiones tuæ paradisus malogranatorum cum fructu pomorum.* Quia, ut notat Hieronymus loco cit. ad Jovin. *malogranatis, & pomis omnium virtutum significatur in Virginitate concentus.* Quamobrem Cyprianus lib. de Virg. *Virginitas, inquit, est soror Angelorum, victoria libidinum, possessio denique omnium bonorum.* Præcipuè autem elucet in Virginitate virtus charitatis. Nam, si majorem charitatem nemo habet, quam ut animam suam ponat quis pro amicis suis. Joan. 15. non minor apparet in Virginitate charitas, quam in martyrio. Non enim, ut ait Ambrosius lib. 1. de Virg. *ideo laudabilis Virginitas, quia in martyribus reperitur; sed quia ipsa martyres facit.*

Confirmatur tertio, quia per Virginitatem Virgines non evadunt modò sorores Angelorum, ut dictum est ex Cypriano; sed etiam sorores, & sponsæ Christi. Ideo dicitur Cant. 4. *hortus conclusus soror mea sponsa.* Quippe per virginitatem, præsertim voto consecratam, Virgines desponsantur in Christo, Quamobrem Augustinus tract. 9. in Joan. *Quæ, inquit, Virginitatem Deo vovent, sine nuptiis non sunt: in quibus sponsus est Christus.* Quod advertens Tertullian. lib. 1. ad uxorem cap. 4. de Virginibus loquens, *cum Deo, inquit, sermocerantur: illum diebus ac noctibus tractant; orationes suas ve-*

lut dotes Deo assignant: ab eodem dignationem, veluti munera maritalia, quotiescunque desiderant, consequuntur. Nec mirum, ut addit Ambrosius de Virginit. quod Angelis comparentur, quæ Angelorum Domino copulantur. Idcirco Apocalyp. 14. dicuntur Virgines sequi Agnum quocumque ierit. Quia, ut ait Augustinus lib. 5. de Virginit. *Augustinus.* cap. 27. *Gaudium Virginum Christi de Christo, in Christo, cum Christo, post Christum, per Christum, propter Christum. Nam sunt alii alia (gaudia) sed nullis talia.* Ideoque Bernardus serm. 8. de mutat. aquæ *Bernard.* in vinum, Virgines appellat *socias mensæ, socias thalami, socias regni.*

Quarta ratio, quia per Virginitatem homo efficitur similis Christo, quoad humanitatem, & quoad Divinitatem. Ergo Virginitas prædestinationis est signum. Consequentia patet ex Paulo ad Rom. 8. *quos prædestinavit conformes fieri imaginis filii sui.* Antecedens probatur, quia Christus & virgo fuit, & maximè amator Virginitatis. Quod ostendit primò antequam nasceretur, in ipsamet Incarnatione. In qua noluit sumere carnem, nisi virginem: ut exinde castitatis se auctorem, & amatorem ostenderet. Quamobrem Augustinus sermone de Nat. Dom. *Christus, inquit, ideo per casta Virginis membra venit ad terras; ut ostenderet Deum castitatis esse amatorem.* Hic Christi amor in Virgines innuitur Psalm. 91. dum dicitur ex persona Christi *Psalm. 91.* *exaltabitur sicut unicornis cornu meum.* Quippe de unicornu, qui alio nomine Rhinoceros dicitur, notat Gregorius lib. 31. mor. c. 10. *Gregorius.* *nulla venantium virtute capi; sed virginem ei puellam proponi, quæ ad se venienti sinum aperit: in quo ille, omni ferocia postposita, caput deponit.* Idcirco igitur Christus unicorni se comparandum dicit, *exaltabitur sicut unicornis cornu meum:* quia hoc animal, cum cæteris ferocissimum, cum solis virginibus mansuescit: atque ad virginum sinus quodam impetu amoris rapitur. Idcirco Ioanni præbuit se familiarem magis quàm aliis; adeo ut per antonomasiam diceretur *discipulus, quem diligebat Iesus.* Hæc de similitudine Virginum cum Christo quoad humanitatem.

Assimilantur etiam virgines Christo quoad divinitatem. Tum quia candorè eum imitantur, qui *candor est lucis æterna, & speculum sine macula* Sap. 7. Tum quia æmulantur quodammodo gloriam *incorruptibilis Dei* ad Rom. 1. Ideo Basilus lib. de vera virgin. *Magnum, inquit, est virginitas, quæ hominem incorruptibili Deo simillimum facit.* Tum denique quia ipsamet Sanctissima Trinitas Virginitatis aliquod specimen exhibet. Quippe Pater ingenitus Filium generat sine coniuge. Quod notavit Damascenus lib. 4. de fide 25. *Christus, inquit, Virginitatis decus est, & ornamentum, ut qui ex Patre sine congressu su genitus.* Filius verò Virginitatem etiam exhibet, non solum quia genitus absque matre, sed etiam, quia ipse spirat non ge-

nerat. Spiritus verò Sanctus etiam Virginitatem præfert neque genitus, neque generans. Ideo Sanctissima Trinitas primum est Virginitatis exemplar: & ut ita dixerim, prima Virgo est. Quod observans Nazianzenus in carm. de Virgin. ita cecinit:

*Prima Trias virgo est, siquidem Patre natus amando  
Filius est, nec enim Pater ortum traxit ab ullo, &c.*

Si Virginitas Sanctæ Triadi reddit similem, ad prædestinationis auspici-um non plus ultra. Ut jurè virginitas, quemadmodum supra diximus, lilio comparetur. Nam si, ut advertit Valerianus in hierogly. lib. 55. in antiquorum monumentis cum inscriptione spei, lili potius figura, quam cujusquam floris speciem ostendat: nulla alia virtus cœlestis regni spem exhibet, sicut lili-um virginitatis. Hæc de signo prædestinationis in castitate reposito.

Valer.  
Lilium spei  
hierogly-  
phicum.

## CAPVT XV.

### Octavum reprobationis signum, Luxuria.

Luxuria re-  
probationis  
signum.

Luxuria  
ignis devo-  
rans usque  
ad damna-  
tionem.

Genes. 19.  
Innocentius.

Hieronym.

Proverb. 7.  
Meretricis  
domus in-  
ferus.

1. Cor. 6.

Augustinus.

**D**Ico decimoquintò. Luxuria speciale reprobationis est signum. Probatur primò è Scripturis. Primus locus est Job 31. ubi: *Pe-  
pigi, inquit, fœdus cum oculis meis, ut ne cogitarem quidem de Virgi-  
ne. Quam enim partem haberet in me Deus desuper, & hereditatem  
Omnipotens de excelsis?* Ergo in eo, qui vel simplici carnis incentivo  
assentitur cogitando de virgine, Deus neque partem habet, neque hæ-  
reditatē: quod est adnumerari inter reprobos. Addit infra de adulte-  
rio loquens, *Ignis est usque ad perditionem devorans, & omnia eradicans  
genimina.* Si devorans usque ad perditionem, utique usque ad dam-  
nationem. Idcirco *super Sodomam Dominus pluit sulphur & ignem*  
Genes. 19. Quia, ut notant Innocentius Tertius lib. de contemp.  
sæc. cap. 25. *pluit super ardorem libidinis, ut pœna similis esset culpæ.*  
Porro ignis prænuntius est flammæ infernalis, cum luxuriosis hic  
infernum exhibeat. Quamobrem dicit Isa. 57. *animæ libidini deditæ,  
humiliata es usque ad inferos:* ut enim notat in hunc locum Hiero-  
nymus, *revera grandis humilitas, imo & usque ad inferos præcipita-  
tio: de luce & culmine castitatis in tenebras lupanaris, imò in bara-  
thrum libidinum præcipitari.* Idè etiam dicitur Proverb. 7. *Via  
inferi domus ejus. Meretricis ergo, ut expendit Augustinus ser. 107.  
de temp. pro inferis ponitur domus: quia ignem inferni habet.*

Secundus locus est 1. ad Cor. 6. *Neque molles, neque fornicarii,  
neque adulteri regnum Dei possidebunt.* Ergo in his constituitur spe-  
ciale signum reprobationis. Quod expendens Augustinus in libro de